PAVLVS PAPA V.

AD PERPETVAM REI memoriam, Regis æternæ gloriæ, qui *fideles seruos suos corona vitæ coronat, vices quamquam immeriti gerentes in terris, ex iniuncto nobis pastoralis officij debito Christi fidelium, ac præsertim Catholicorum Regum, & Principum, necnon religiosarum personarum votis, quæ peculiarem erga eosdem Christi seruos honorem, & venerationem respiciunt, libenter annuimus, eaq; fauoribus prosequimur opportunis, prout conspicimus salubriter in Domino expedire. Sanè dilectorum filiorum omnium religiosorum totius ordinis fratrum Carmelitarum discalceatorum beatæ Mariæ de Monte Carmelo nomine nobis nuper expositum fuit, quòd bonæ memoriæ Theresia de Iesu dicti Ordinis fratrum Carmelitarum discalceatorum fundatrix, tàm multis, & eximijs virtutum, & gratiarum, ac miraculorum donis à Domino illustrata fuit, vt magna idcirco erga eius nomen, & memoriam Christi fidelium deuotio vigeat. Quapropter non solùm vniuersus Ordo prædictus, sed etiam charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum Rex Catholicus, ac omnium fere Hispaniarum Regnorum Archiepiscopi, Episcopi, Principes, necnon communitates, vniuersitates, & homines nobis iteratis precibus humiliter supplicari fecerunt, vt donec canonizationis honor ab Apostolica Sede dictæ Theresiæ habeatur, quòd ob eius excellentia merita aliquando diuina adspirante gratia futurum sperant, sacrosanctum missæ sacrificium, & officiam ab omnibus, & singulis dicti Ordinis vtriusq; sexus religiosis personis de dicta Theresia, tanquam de vna beata virgine, & aliàs vt infra agi, & recitari respectiuè possent. Quare nos re prius per venerabiles fratres nostros S.R.E. Cardinales sacris Ritibus præfectos, quibus eam examinandam mandauimus mature discussa, de eorumdem Cardinalium consilio huiusmodi supplicationibus inclinati, vt deinceps in futurum singulis annis in die depositionis dictæ beatæ Theresiæ, videlicet, die quinta mensis Octobris in omnibus Monasterijs, & Ecclesijs dicti Ordinis fratrum Carmilitarum discalceatorum, ab omnibus eiusdem Ordinis religiosis vtriusq; sexus officium, & missa de beata Theresia prædicta tanquam de vna virgine, necnon in oppido Albæ Salmantinæ diœcesis, in Monasterio, & Ecclesia, in qua corpus dictæ beatæ Theresiæ asseruari asseritur, ab omnibus presbyteris, tàm secularibus, quàm regularibus cuiuscumq; ordinis in dicta die quinta Octobris, tantùm missa in honorem eiusdem beatæ Theresiæ pro eorum deuotione iuxta regulas Breuiarij, & Missalis Romani recitari, & celebrari respectiuè possit, & valeat, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò concedimus, & indulgemus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscumq. Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiã impressis manu notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ, seu Procuratoris generalis dicti Ordinis munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datis Romæ apud sanctum Petrum, sub annulo piscatoris die xxiiij. Aprilis M.DC.XIIII. Pontificatus nostri anno nono. S. Cobellutius.*

Concuerda con su original de que doy fee Frãcisco Ortiz de Sauzedo, Notario publico Apostolico.

Decretum Rot. S. Ta Theresia